

## Questio Secunda

sufficientes in quibus tamen si abscedatur caput tñ etiam in estate redditur immotum quia non habet calorem vitalem. Alia autem fuerunt miraculosa. Et si in alijs videatur post abscisionem capitis moueri lingua. Dicit albertus quod hoc est a virtute que remansit in neruis.

**Ad secundum** patet ex dictis. Prius enim anima non est ibi multiplex nisi in potentia. Ad aliud dicitur quod fantasia in animalibus perfectis habet determinatum organum non autem in alijs vt dicit **S. T. lec. 4** Si queratur An appetitus animalium imperfectorum requirat iudicium et sensum communem. Et an in animalibus imperfectis sit vis imagenatiua de qua dicitur eodem modo sicut de fantasia vt patet **lec. 6**. Sed de hoc in tertio de anima s. t. dicit **lec. 5**. declinatio et dolor in eis consequuntur sensum tactum.

**Ad 3m.** dicitur quod in eodem vegetatiuum sensitivum appetituum et motuum non distinguuntur loco quia in parte decisa reperiuntur ista 4. Secus autem est de quibusdam potentijs particularibus vt dicit sanctus thomas **lect. quarta**.

**Ad 4m.** dicitur quod anima separata e vegetatiua in potentia remota. Ad aliud non oportet si forme differant genere quod composita differant genere de altero dubium est qualis sit ista diuisio anime in tres animas cum vnum membrum dicatur de alio. Et sic non videntur esse species anime nisi forte sumantur precisione. De triangulo autem dicitur quod in hoc est similitudo quia sicut in quadrangulo continetur triangulus Ita anima rationalis exercet operationes anime vegetatiue.

**Ad quintum** Refert albertus quod propter hoc gregorius in multis voluit reprehendere diffinitiones aristotelis libro suo de homine. Primo quia anima equiuoce dicitur de vegetabili sensibili et rationali et ideo non debet diffiniri. Item philosophus dicit quod anima est endelechia vel spes hoc autem est falsum quia forma simplex subiectum esse non potest: sed ad ista supra responsum est. Quare autem anima non diffinitur per formam dicitur quod forma dicitur comparisonem ad id quod remotissimum est a completo hoc est ad potestatem materie. Anima autem dat complementum illi cuius est. Ad aliud dicitur quod anima est actus materie organizare quod dicitur habere vitam in potentia non quod sit subiectum potentie: sed est subiectum vite et anime potentie exercere operationes vitales.

**Ad sextum** potest dici quod anima habet modum generis sicut substantia diceretur habere modum generis ad materiam vel formam vnde forma vocatur species vt patet **T. L. 2**. Ad aliud de oculo dicitur quod si oculus in quantum huiusmodi esset ens per se subsistens tunc visus esset sua anima: quia in quantum huiusmodi esset substantia et ideo sua forma scilicet visus esset substantia vt habetur hic **T. L. 9**. Sed hoc est impossibile.

**Ad septimum** negatur consequentia licet anima vegetabilis posset dici irrationalis negatiue.

**Ad octauum** dicitur quod anima quo ad questionem an est: est certissima vt patet in **1. de anima**. Secundo dicitur quod non inconuenit quod aliquando eadem sint nobis prius nota et nature licet frequenter in naturalibus causa est notior effectu. Et bene dicitur frequenter vt patet ex alberto in **1. de anima cō. 11**.

**Ad nonum** dicitur quod voluntas et sensualitas sunt vnum genus potentie non autem sensus et intellectus

## Articulus Primus.

quia sensitivus et intellectuum habet diuersa obiecta genere. Vel forte non inconuenit quod sint plura genera potentiarum. Si quis aliquod istorum generum voluerit subdiuidere intellectuum est quasi genus ad nos et angelos vel eo modo quo dicimus humanum genus.

**Ad decimum** Negatur consequentia Potentie enim distinguuntur per obiecta. Gradus autem vite secundum separabilitatem. Si dicatur Accidentia distinguuntur per subiecta ergo potentie non distinguuntur per obiecta. Eadem enim potentia est contrariorum que maxime distant vt patet **5. metha**. Dicendum quod distinctio numeralis et non specifica est a subiecto.

**Ad vndecimum** dicitur quod potentia obedientialis coincidit cum alijs vnde intellectus secundum quod suscipit cognitionem supernaturalium dicitur obedientialis potentia in ordine autem ad alia naturalis.

Ad aliud dicitur quod appetitus naturalis coincidit cum alijs non autem appetitus animalis. Utrum autem quelibet potentia habeat in se delectationem postea dicitur. Si dicatur lapis appetit descendere: ergo appetituum est in lapide: ergo potentia appetitiua non sequitur animam hic est dubium an lapides crescant. Et per consequens an habeant animam vegetatiuam. Dicendum quod non **San. Tho. in. 2**. Sed respondetur per distinctionem positam de appetitu.

Utrum autem appetitus naturalis sit aliquid distinctum a re ipsa **S. Tho. 1. parte. q. 81. ar. 2**. quod appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem. Et sic videtur forte dicere quadam potentiam a re distinctam vnde inclinatio est: per leuitatem vt habet **1. parte. q. 59. ar. 2**.

**Ad duodecimum** negatur quod prius semper separatur a posteriori. Et licet in potentis sit gradus essentiali. Non tamen semper est diuersus gradus vite.

**Ad decimum tertium** dicitur quod hic loquimur de motu animalis progressiuo dubitant autem quidam an iste conueniat serpentibus: quia olim gradiebantur super caudam. Quibusdam enim animalibus imperfectis conuenit motus progressus: quia musca et apis sunt animalia imperfecta.

**Ad decimum quartum** dicitur quod potentia habet vitam id est operationem vitalem vel est vita: quia est in anima. Ad aliud negatur consequentia et satis dictum est in fine primi de anima **San. Tho. de ve. q. 10. ar. 1. 2m.** dicit quod ex parte subiecti sunt tantum tria genera potentiarum vide ibi distinctionem **San. T.** Et notandum quod verum est quod quando potentie ad equalia se extendunt tunc quanto virtus est altior tanto magis est vnita secus autem si se extendant ad inaequalia. Et notandum vt dicit albertus **c. 15**. quod secundum peripheticos in immortalibus sicut in corporibus celestibus est vita intellectiua separata a vegetatiua.

Et platonici ponunt quod dum sunt animalia rationalia: scilicet mortale additum nobis separat nos ab illis scilicet secundum veritatem omne intellectiuum est vegetatiuum.



**Ad secundum** sic procedit videtur quod non sint tres partes vegetatiue scilicet nutritiuum / augmentatiuum / et generatiuum / quia eadem est potentia generatiua et augmentatiua ignis enim per eandem potentiam generatiuam et debitam quantitatem eiusdem ergo animatum per eandem potentiam generat et nutrit. Sed contra est **phi. 1. c. 4. 2**.